

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

I

Prot. Nr. 26882/96 VT

Quaesitum circa decretum quo sententia affirmativa primi gradus confirmatur, decisione «aequivalenter conformi» (c. 1682 §2)

Reverendissime Domine,

Lata in causa de qua supra a Tribunali X sententia affirmativa ob exclusum bonum prolis ex parte mulieris conventae, Tribunal Y secundae instantiae decreto diei 26 februarii 1996 nullitatem matrimonii confirmavit, atvero ob gravem defectum discretionis iudicii ex parte eiusdem mulieris, quae decisio in eodem decreto dicebatur «aequivalenter conformis».

Epistola autem diei 10 aprilis 1996 Rev.mus Vicarius Generalis Z ex hac Signatura Apostolica quaesivit utrum, necne, rebus sic stantibus, vir actor admitteri posset ad novas nuptias, pro quibus omnia iam parata erant.

Re sedulo perpensa, hoc Supremum Forum die 11 aprilis 1996 declaravit: «Non apparet ratio satis cogens ad novum matrimonium viri actoris ex parte huius Signaturae Apostolicae impediendum. Pars mo-

tiva decreti d. 10 aprilis 1996: «Re sedulo perpensa; Visis documentis huc transmissis; Attento quod decretum diei 26 feburarii 1996, de quo supra, admittit: a) absentiam unionis sexualis in matrimonio canonico; b) conventae pertinaciam in recusanda unione sexuali post eius celebrationem, et c) aversionem mulieris a viro iam ante eiusdem matrimonii canonici celebrationem; Non obstante magna perplexitate quoad iurisprudentiam Tribunalis secundae instantiae circa caput gravis defectus discretionis iudicii in casu; Audito Promotore Iustitiae, attamen omnia acta causam respicientia exquisivit ad videndum utrum, necne, aliquid animadvertendum esset ad adiuvandum Forum Appellationis ut deinceps in causis pertractandis recte procederet.

Quibus actis mense iulio 1996 receptis, hoc Supremum Tribunal cuidam perito commisit ut ea sedulo examini subiceret. Quo examine tandem aliquando absoluto, haec Signatura Apostolica haec *praesertim* animadvertenda censet:

1. In casu, praefato «decreto» Tribunal Appellationis de facto negativam tulit decisionem quoad caput de quo in prima instantia, seu quoad exclusionem boni prolis ex parte mulieris conventae, et affirmativam dedit decisionem quoad caput defectus discretionis in eadem muliere conventa.

Iamvero:

– Lata in primo iurisdictionis gradu sententia pro matrimonii nullitate, tribunal appellationis tantummodo decreto suo illam decisionem continenter confirmare potest relate ad caput nullitatis de quo in primo gradu habetur sententia affirmativa; secus causa in gradu appellationis ad ordinarium examen admittenda est et decisio pro nullitate matrimonii per decretum ferri nequit (cf. can. 1682 §2).

– A fortiori decisio affirmativa per decretum ferri nequit, si agatur de capita nullitatis de quo forum appellationis primam fert decisionem. Evidenter hoc in casu tribunal appellationis, servatis servandis, tantummodo per processum ordinarium de re videre potest.

2. Tribunal Appellationis in casu caput gravis defectus descretionis iudicii, de quo in can. 1095, n. 2, consideravit tamquam: «Nichtigkeitsgrund, des mangelnden gesamt menschlichen Entscheidungswillens» et de facto neglexit doctrinam ad rem a Ioanne Paulo II propositam in notis allocutionibus ad Rotam Romanam dierum 5 februarii 1987 (AAS 79 [1987] 1453-1459) et 25 ianuarii 1988 (AAS 80 [1980] 1178-1185).

3. In casu, Cl.mus D.nus N. munere praesidis collegii functus est. Id autem omnino non convenit, etenim:

– Ad normam can. 1426 §2 tribunali Collegiali «praeesse debet, quatenus fieri potest, Vicarius iudicialis vel Vicarius iudicialis adiunctus», qui debent esse sacerdotes (cf. can. 1420 §4).

– Praeses collegii quandam exercet potestatem in ceteros iudices collegii, qui in casu sunt clerici (cf. can. 1428 §1, 1429, 1609 §§1 et 3).

– Can. 1421 §2, de iudice laico, exceptionem constituit relate ad §1 eiusdem canonis, et proinde strictae subest interpretationi (cf. can. 18).

Quibus animadversis, hoc Dicasterium urget Forum Y ut deinceps praescriptum can. 1682 §2 ad amussim observet, atque quoad capita nullitatis, de quibus in can. 1095, allocutiones Ioannis Pauli II ad Rotam Romanam dierum 5 februarii 1987 et 25 ianuarii 1988 una cum iurisprudencia Rotae Romanae sedulo prae oculis habeat, et tandem vetat quemcumque iudicem laicum munere praesidis in eodem Foro fungi.

Occasionem nactus, cuncta fausta Tibi adprecor ac permaneo addictissimus

GILBERTO CARD. AGUSTONI
Praefectus

† ZENON GROCHOLEWSKI
Secretarius

II

Prot. Nr. 27804/97 VT

Quaesitum circa decretum quo sententia affirmativa primi gradus ex uno tantum capite ex pluribus accusatis confirmatur (c. 1682 §2)

In causa de qua supra (causa respicit migrantes ex Italia), Tribunal X die 27 septembris 1996 de nullitate matrimonii constare declaravit tam ex capite doli mulieri actrici illati (can. 1098) quam ex capite incapacitatis assumendi onera matrimonialia essentialia ex parte viri conventi (can. 1095, n. 3).

Tribunal Appellationis Y dein die 3 martii 1997 decreto confirmavit sententiam Tribunalis X quoad caput incapacitatis assumendi onera matrimonialia, sed eodem decreto (sic) etiam statuit matrimonium non esse invalidum ex capite doli.

Epistola tandem diei 4 aprilis 1997 Rev.mus Vicarius Iudicialis Tribunalis X ab hac Signatura Apostolica quaerit quid censendum sit de eiusmodi decreto confirmationis («ob ein solches Bestätigungsdekret formell einwandfrei ist»), necnon petit — si et quatenus — eius sanationem («Falls in diesem konkreten, Fall die

zweitinstanzliche Entscheidung formell nicht in Ordnung ist, bitte ich hiermit, daß Ihr Dikasterium eine Sanierung vornimmt»).

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;
Perlectis decisionibus in casu latis;
Praemisso quod:

– Si sententia pro matrimonii nullitate prolata sit in primo iudicii gradu ob diversa capita nullitatis, tribunal appellationis quoad *singula* capita videre debet utrum suo decreto decisionem continenter confirmare possit an ad ordinarium examen secundi gradus causam admittere debeat (cf. can. 1682 §2);

– Si tribunal appellationis quoad unum caput nullitatis decisionem affirmativam suo decreto confirmet et causam quoad alterum caput ad ordinarium examen remittat, habetur quoad primum caput duplex decisio conformis, quam ob rem partes possunt novas nuptias contrahere statim ac decretum confirmationis ipsis notificatum est, nisi vetito decisioni appposito vel ab Ordinario loci statuto id prohibeatur (cf. can. 1684 §1);

– Cum huiusmodi in casu iam habeatur decisio executiva de nullitate matrimonii ex primo capite, dein non amplius habetur sufficiens ratio ut tribunal appellationis ultra videat de altero capite ad ordinarium examen admisso;

Animadverso quod:

– Tribunal Appellationis Y in casu causam quoad alterum caput nullitatis tantummodo ad ordinarium examen remittere poterat, sed haudquaquam statim decreto suo decisionem negativam ferre;

– In casu decisio quoad alterum caput nullitatis lata est sine iudiciali disceptatione iure requisita et proinde ad rem prorsus violatum videtur ius defensionis;

– Si et quatenus quae pars in causa petat ut haec Signatura Apostolica emittat decretum executionis in ordine ad effectus civiles declarationis nullitatis matrimonii in Italia obtinendos, decretum Tribunalis Appellationis Y quoad alterum caput, servatis iure servandis, corrigendum erit;

Quibus omnibus perspectis;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae,

declarat:

1. a. Duplex decisio pro nullitate matrimonii ex capite incapacitatis viri conventi ad assumenda onera matrimonialia in casu executioni mandari potest, salvo vetito viro convento imposito;
b. Ad rem nulla requiritur sanatio;
2. Prorsus admitti nequit decisio negativa in casu a Tribunali Appellationis Y per decretum quoad caput doli lata.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 16 aprilis 1997.

GILBERTO CARD. AGUSTONI
Praefectus

† ZENON GROCHOLEWSKI
Secretarius

III

Prot. N. 28252/97 VT

Quaesitum de usu periti in causis nullitatis matrimonii

Litteris diei 13 augusti 1997 Rev.mus Vicarius iudicialis N. huic Signaturae Apostolicae quandam difficultatem exposuit in pertractandis causis nullitatis matrimonii ob capita de quibus in can. 1095, cum psychiatra et psychologi in eius Natione operam suam in foro ecclesiastico praestare prohibeantur. Ideo Rev.mus Vicarius iudicialis quaerit num in huiusmodi adiunctis liceat iudicibus sententiam pro nullitate pronuntiare, si absque peritorum opera, propria scientia «non-professionali», certitudinem moralem iure requisitam adepti fuerint.

Responsio vero affirmativa — animadvertit idem Rev.mus Vicarius iudicialis — secumferret ut opera peritorum non solum omitti posset, si ex «adiunctis inutilis evidenter appareat» (can. 1680), sed etiam si ex adiunctis moraliter impossibilis reddatur.

Petitis ac receptis ulterioribus notitiis, opportunum apparuit quaedam principia fundamentalia ad rem pertinentia fusius exponere.

Quam ob rem, collatis votis peritorum et re sedulo perpensa in Congressu die 16 iunii 1998 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito, vi art. 124, n. 1, Const. Ap. *Pastor bonus*,

**SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE
TRIBUNAL**

ad rem haec declaranda censet:

1. Principium fundamentale ad sententiam affirmativam in causis nullitatis matrimonii ferendam

invenitur in can. 1608 §§ 1-2: requiritur in iudicis animo moralis certitudo, ex actis et probatis haurienda, circa rem sententia definiendam. Iudex, qui hanc certitudinem acquirere non potest, pronuntiare debet non constare de nullitate matrimonii (cf. can. 1608 §4). Quae certitudo moralis considerari nequit «una certezza puramente soggettiva che si fonda sul sentimento di questo o di quello, forse anche su personale credulità, sconsideratezza, inesperienza», uti declaravit PIUS XII in allocutione ad Rotam Romanam diei 1 octobris 1942 (AAS 34 [1942] 338-343: vide n. 3, p. 340).

2. In causis ob capita, de quibus in can. 1095, «nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat», opera requiritur peritorum (cf. can. 1680 et alloc. IOANNIS PAULI II ad Rotam Romanam dierum 5 februarii 1987: AAS 79 [1987] 1453-1459, et 25 ianuarii 1988: AAS 80 [1988] 1178-1185). Huiusmodi igitur in causis ut plurimum opera requiritur psychiatri vel psychologi ad conditionem psychicam partis vel partium tempore celebrationis matrimonii dignoscendam.

3. In causis ob incapacitates, de quibus in can. 1095, attenta earundem complexa natura, vix possibile est ut in casibus, in quibus opera peritorum appareat necessaria, iudex ex propria scientia «non-professionali» adipisci possit certitudinem moralem «ex actis et probatis hauriendam», quae iure requiritur ad sententiam affirmativam pronuntiandam (cf. can. 1608 §§ 1, 2 et 4).

4. Opera enim peritorum in huiusmodi causis adhibenda est non solum quia iure est praescripta, sed praesertim quia ex natura rei talis opera instrumentum est probationis, a quo iudex, ut plurimum, ad certitudinem moralem «ex actis et probatis hauriendam» praescindere nequit ut sententiam pro nullitate matrimonii pronuntiare possit.

5. Peritia de statu psychico partis «evidenter inutilis» apparere potest ad matrimonii nullitatem probandam: a) quando, etiamsi non agatur de «peritia» sensu tecnico, in actis habetur documentum vel testimonium ita qualificatum, ut iudici sufficientem probationem ad rem praebeat; b) quando ex factis et circumstantiis probatis sine dubio vel carentia apparet sufficientis usus rationis vel gravis defectus discretionis iudicii vel incapacitas assumendi onera matrimonii essentialia; hoc enim in casu nullitas matrimonii declarari potest ob evidentem consensus defectum, quin requiratur accurata diagnosis causae psychicae ob quam habetur ille defectus. Hisce autem in casibus iudex a perito petere potest ut explicet aliquod documentum vel factum, quod in actis habetur vel asseritur.

Agitur vero de duobus casibus, qui nonnisi tamquam exceptiones a regula generali habendi sunt.

6. Si autem pars sese examini periti subicere recuset, iudex a perito petere solet «votum» super solis actis, etsi huiusmodi «votum» tamquam «peritia» sensu tecnico in arte psychiatrica vel psychologica non consideratur. Evidenter hoc in casu ab eodem perito exquiri potest ut exponat momentum huiusmodi «voti» ad veram defectus psychici naturam dignoscendam. Idem «votum», uti patet, diversimode ac «peritia» sensu tecnico in arte psychiatrica vel psychologica aestimandum est.

7. Iudex qui exquirat «peritiam» vel, si casus ferat, «votum», sedulo servare debet praescripta iuris processualis canonici in re, prae oculis habito quod in causis nullitatis matrimonii acta causam respicientia et ipsa sententia per se tantum partibus, non autem extraneis, publicanda sunt (cf. alloc. IOANNIS PAULI II ad Rotam Romanam diei 26 ianuarii 1989: AAS 81 [1989] 922-927; vide speciatim nn. 8-9, pp. 925-926).

8. Peritus, sua ex parte, sedulo servare tenetur non solum praecepta et normas ethicæ suae artis vel scientiae, sed etiam praescripta iuris tam canonici quam civilis in proprio munere rite et fideliter exsequendo (cf. cann. 1574, 1577 §2 et 1578 §2).

9. Cum opera peritorum, qui scientia et artis experientia sint insignes atque principiis anthropologiae christianae adhaereant, magni habenda sit ad causas nullitatis matrimonii ob capita de quibus in can. 1095 definiendas, omnino curandum est ut principia supra indicata iis, quorum interest, rite exponantur.

Datum e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 16 iunii 1998.

GILBERTO CARD. AGUSTONI
Prefetto

† ZENON GROCHOLEWSKI
Segretario